





1. Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.

2. Moller s. Christoph Gottfr. s. diff. de genuina
vocum charactir et ypostasii notione.
Lipsiae 1738.

3. Morheim s. Joh. Lauri s. diff. de ihsu christo
vindice dogmati de mortuorum ad
vitam redditu. Helmst. 1740.

4. Müller s. Gottfr. En s. diff. de papolatria.
Lipsiae 1726.

5. phil. s. diff. de jure dei in homines;
jena 1701.

6. diff. de regno Israeli restauran-
do, jena 1709.

crocodilus lachrimans, send 1733.

7. diff. de Iesu Christo deandropo, jena
1704.

8. Dei s. Caspi. gottfr. s. diff. de gloria
temporii secundi jena 1661.

10. Muscis. Joh. f. diff. p̄ea memoria Iesu Christi
eius crucifixi, iene 1681.
11. ——— diff. an conjugium primæva ejus
constitutione salva, inter plures quam
duos esse possit. iene 1737.
12. X. f. A. Epistola de peccato in spiritum S.
et descenditu Christi ad inferos, Iacob. 17.2.
13. Nagelij. f. Joh. Andri. Mich. f. diff. de Lingua
adscita Hominum Orbis Babylonici. Histori
1740.
14. Neumann f. Joh. Georgij. f. diff. de bona inten
tione, plerorumq; omnium sc̄ptatorum Asylo.
Wittenb. 1706.
15. ——— diff. de palma ab Angelicis non
interventanda, Wittenb. 1692.
16. ——— diff. de apodecisi fanaticorum,
Wittenb. 1706.
17. ——— diff. de Missionarj; pontificiorum
Wittenb. 1702.
18. ——— diff. de unctione omnia docente
Wittenb. 1699.
19. ——— diff. de poenitentia solenni, Wittenb.
1706.
20. ——— Synopsij. errorum fanaticorum
quor tremuli moderni sovent, Wittenb. 1721.
21. ——— diff. de peccato sub spe venie
commisso Wittenb. 1702.
22. ——— diff. de Nonura peccatorum impletu
Wittenb. 1720.
23. ——— diff. de Praebio ante victoram. Wittenb.
1707.



24. Neuhertz f. Joh. Gottfr. / observationes
philologicae in Malach. 11. v. 15-16.
Lipsie 1727.
25. Nieder f. Joh. Val. Lud. / quæstiones
de aggelographia. Lipsie 1738.
26. Nichenck f. G. Fried. / diss. exhibens
quæstiones nonnullas de articulo de
Magistratu politico, Rostocki 1706.
27. Ningtsch f. Joh. Christ. diff. de Ammonitis
a Davide ab ipso crudelitate sub iugum
missis. Lipsie 1731.
28. Obbarij f. Christoph. Lud. / diff. de tempera-
mento Johannis Apist. Cholerico,
1738.
29. Olearij f. G. phil. / diff. de reverentia
doversus Deum, se ipsum, et alios.
Lipsie 1730.
30. Olearij f. Gottfr. / diff. de probacione
spirituum, Lipsie 1711.



M. 1.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA
DE
**VIRO STANTE INTER
MYRTOS**

AD
ZACH. I. 7. seqq.

QVAM

FAVENTE SVMMI NVMINIS GRATIA
SVB PRÆSIDIO
IOANNIS GEORGII MICHAELIS

SS. THEOL. PROFESS. PVBL. AC ILLVSTR. GYMN. REG.
REFORM. EPHORI

IN ILL. GYMN. REG. REF. AVDITORIO

*AD DIEM XIII. MART. A. C. M D CC XXXIX.
AB HORA IX-XII. ANTEMERID.*

PLACIDO EXAMINI SVBMITTIT

HENRICVS ANDREAS HAVPT,
COTHEN. ANHALT. S. THEOL. CVLTOR.

HAL. MAGDEBURGICAE.
Litteris IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typ.

DICIBAT QD TITULUS LIBRI

ATROSATAN GATYUM

AD
PRAEFACTA

ATROSATANUM ET TITULUS LIBRI

SCOTTIUS

JOANNIS GEORGII SCOTTIUS

SCOTTIUS LIBRI ATROSATANUM ET TITULUS LIBRI

SCOTTIUS

IN TIT. CIVICO REG. TIT. TIT. TIT.

SCOTTIUS LIBRI ATROSATANUM ET TITULUS LIBRI



DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA
DE
VIRO STANTE INTER
MYRTOS.
ad Zach. I. 7. seqq.

ARGVMENTVM.

Zachariae vaticinia, speciatim præsens visio, ab obscuritate nimia vim dicantur. §. I. Analysis totius visi instituitur. §. II. De viro stante inter myrtos diuersæ sententiae producuntur, α) illorum, qui personam aliquam diuinam, filium Dei, β) qui angelum creatum, Michaellem, γ) hominem illustrem, Alexandrum, intelligi volunt. §. III. Extragiis in sententias illas instituitur, demonstraturque, per virum illum non nisi filium Dei significari. §. IV. Viri huius spectatur (L) adiunctum, equus, qui repreſentat belli ducem ac imperatorem, quod confirmatur a) quia in fronte positus. §. V. b) Quia equus colore rubro tinctus, qualis in paludamentis indicium belli fecuturi. §. VI. (H.) Situs, inter myrtos, ubi inquitur in discrepancyam, qua inter comedicem Græcum & Ebræum offenditur, ac genuina vocis שׂרֵם significatio inuestigatur. §. VII. Myrti conspiciebantur prope fluuisse profunditatem, quod myrtorum naturæ conuenire demonstratur. Visiō nem hanc vati, in Babylonia exsistenti, oblatam fuisse, vel statum Ju-dæorum Babylonensem respicere, negatur. §. VIII. Myrtos designare pios ex Israëlitarum gente, qui diuinis castigationibus subacti, virtutis pietatisque odorem sparserint. Et quidem virtute angelī vindicis, in medio illorum consistentis, ostenditur. §. IX. Significatus vocum ארמים שְׁרֵקִים לְבָנִים excutitur. §. X. Per equos, diuersis coloribus piētos, non potiora orbis imperia, sibi inuicem succendentia, nec reges aliter atque aliter in Judeos adfectos, nec denique apostolos, apostolicosque viros intelligendos esse. §. XI. Sed potius angelos, eosque non malos, quod Coeetus opinatur, sed honoris. §. XII. Equorum co-lores designare angelorum qualitates & effectus, quos ex consilio diuino in populis Judæe vicinis ediderunt. §. XIII. Angelum loquentem in prophe-

A



DE VIRO STANTE

propheta non esse ipsum illum virum stantem inter myrtos, filium Dei, nec angelum custodem prophetæ, sed spiritum sanctum ipsum intus docentem. §. XIV. Subicitur ἀπόδεξις, in qua omnia ad scopum suum reuocantur. §. XV. Coronidem imponunt porismata practica, quæ ex viro hoc inferuntur. §. XVI.

§. I.

Visio, in quam curam atque cogitationem in præsencia defigimus, siue emblematum concinnitatem, siue illius argumentum, siue denique scopum consideres, adeo excellens est atque eximia, ut cum præstantissimis quibusque vaticiniis iure optimo configi possit. Diffitendum tamen non est, genuinum illius sensum non ita in propatulo esse. Licet enim angelus interpres emblematum, in illa occurrentium, sensum determinarit, est tamen ille generalis, nec ad specialia subiecta restrictus. Emble mata, quibus visiones Zachariæ absoluuntur, eius sunt indolis, ut, nisi certa illorum attributa designentur, interpretis iudicium suspensum teneant, & nisi eorundem in sacris vsum in promtu habeat, & cum re, cuius signa existunt, curatus componat, illum in diuersum facile abripere possint. Non tamen est, quod Judæi vatem nostrum nimiæ obscuritatis insimulent, ac si hac ipsa reliquorum oracula longe supereret, de cuius interpretatione certi esse non possumus, si vel maxime explicatio quædam ab angelo interprete subiungatur, donec venerit doct̄or iustitiae, verba sunt R. SAL. ISACIDIS. Haut inuitus largior, si per doctorem iustitiae intelligit sospitatorem, olim promissum, nos de oraculorum diuinorum veritate certo persuasos esse non posse, nisi per ipsum: in quo eiusdemque regno vti plurima vaticinia implementum sunt sortita, ita spiritum nobis paravit, qui quem ad modum priscorum vatuum ora soluit, ita etiam nos per illuminationem mentis, diuinarum litterarum beneficio accensam, in rectum illorum sensum inducit. Generatim prophetas, qui a soluta captiuitate floruerunt, ambiguitatis



tatis incusat, eiusdemque rei caussam a vi spiritus propheticī debilitata arcessit KIMCHIVS, adfirmans: **כַּחֲנֹבְאָה** הִתְהָה קִמְחֵי הַלְּכָת וְדָלָת מִימֵי חַנּוֹלָה לְפִיכְךָ לֹא בָּאָרוּ אֶת רְבָרְהָם וְלֹא בָּבִינוּ הַמְּרָאֹות כַּאֲשֶׁר חָסָה, *vis prophetica magis magisque diminuta est a diebus captivitatis; idcirco neque explanant verba sua, neque intellexerunt visiones, quem ad modum superiores prophetæ, excepto Daniele. Sententia certe iniuria in spiritum prophetæ, in vatum sacrorum auctoritatem, in populi denique reducis conditionem, qui non minus prophetis, iisdemque excellentioribus spiritus propheticī donis insignitis, egebat. Potuit tamen forsitan ratio quæpiam subesse, quare hanc culpam in prophetas illos coniiciant. De Zacharia nostro suplicatur Cel. WOLFIUS 1), obscuritatis ipsum postulasse, quod intelligere nollent tam clara, que de Messia in illo existabant, vestigia. Peculiarem obscuritatis huius nostræ visionis rationem repetunt tum ex illius argumento, tum ex ipfa vatis confessione v. s. pronuntiantis, i. e. ut KIMCHIVS interpretatur, בְּמִראֹות הַלִּילָה in visionibus tenebris ac obscuris instar noctis, qua ipsa etiam chorda oberrat ABEN ESRA 2). Nec ab hac interpretatione sibi cauerunt interpretes Christiani. HIERONYMVS communī quasi doctorum ecclesiæ nomine ita infit: ceterum ecclesiārum magistri, noctem, in qua cernitur visio, obscuritatem mysticæ visionis intelligunt, quos sequuntur OECOLAMPADIVS, CALVINVS, alii. Error inde fluxit, quod vocem לִילָה non tanquam notationem temporis, quam quidem adiunctum via- sionis huius acceperunt, cum alias nomina temporis litteram בָּ prefixam habeant. Sed illam aliquando omitti, patet ex Ruth. I. 12. & Neh. II. 12. & surrexi, לִילָה nocte, siue noctu, prouti R. ISACIDES per בְּלִילָה recte interpretatur. Ita sane vocem in hoc nostro loco reddit JONATHAN VSIELIDES, quem Judæi alias magni faciunt. Interpretatio LXX uiralis dubia videri posset, quæ habet ἐώρα την νυκταν, sed nomina tempo-*

A 2

ris

1) Bibl. Ebr. Vol. II. p. 189. 2) Praef. præmiss. comm. in Zach.

ris aliquando quarto casu posita inuenias. Recte ABARBANEL, cuius verba breuitatis caufa latine redditia exhibemus, prophetæ Zacharias, inquit, *vbi voluit enarrare visionem, quam vidi,* dicit in initio verborum suorum רָאִיתִי הַלִּילָה, quasi diceret, nolite cogitare, visionem hanc esse somnum visionis nocturnæ, profectæ ex operationibus facultatis imaginatricis: sed ecce cum hac contingenter NOCTE, eloquium Dei clarum directum est ad me, vidi illam oculis meis. Nox igitur oppreßerat vatem, & quidem ipsa illa, quæ diem XXIV. m. Schebat præuertebat, qui ex sententia HIERONIMI 3) nostro Februario, vel potius Januario, si initium anni sacri a Nisan ducendum, respondet. Spissæ tenebræ oculorum lumina clauerant, lux spiritus mentem totam circumfundebat, eandemque miro quodam splendore collustrabat. Vbi nocturno tempore voces ac labores hominum, ferarum, iumentorum, auium conticescunt, nec sensus externarum rerum motibus adſciuntur, homo aptus est admodum, qui illapsum spiritus sancti recipiat, isque menti eius rerum diuiniorum imagines offerat, quibus proprius tuendis eo magis vacare potest, quo minus a sensibus eorundemque obiectis turbatur. Quæ ratio esse videtur, quare Deus vates sacros visionibus nocturnis haut raro est dignatus Dan. VII. 27. Nullus tamen intercedo, quo minus arcior quædam ratio noctis huius dari queat, cum visio hæc tota eo sit comparata, ut priorum Abramidum animi ex calamitatum, quibus tum temporis vrgebantur, tenebris erigerentur ac solatii futuræque tranquillitatis lux blandior tristem aduersitatum ac infortuniorum noctem disiiceret. Certe caligo ista, quæ Abramum percellebat Gen. XV. 12. fuit symbolum ærumnarum ac laborum, quos illius posteri in Aegypto toleraturi erant. Num vero vati nostro dormienti, an vigilanti obtigerit, dicere non habeo. Prius cuiquam ex c. IV. 1. videri posset, posteriorius ex c. II. 1. adlubuit GVRTLERO 4). Hoc tuto adfirmare licet,

3) opp. T. III. p. 1709. ex edit. Domini Jo. Martianay. 4) theolog. proph. c. II. §. 6. p. 15.

licet, emblemata adeo concinna, præstantissimarum rerum viuidissimas effigies, non nisi per spiritus diuini manum in ipsius phantasia delineari ac menti eius contemplanda exhiberi potuisse.

§. II.

In visione hac habemus (N) emblemata, repræsentata Zachiæ v. s. (B) illorum ad petitionem vatis interpretationem, ab angelo interprete datam v. 9-11. Emblemata sunt (α) viri infidentis equo rufo, consistentis inter myrtos, (β) equorum varii generis colorum, a tergo viri illius conspectorum v. 8. Prior ex characteribus suis cognoscendus, posteriorum generalis aliqua ratio redditur. Vir ille, qui præcipuum personam propheticæ huius spectaculi constituit, describitur (1) ab adiuncto, e quo, (2) loco, siue situ, inter myrtos.

§. III.

(α) Virum illum quod attinet, quoniam nominatur אֵישׁ, item מלאך יהוה angelus Domini, interpretes ad characteres illius non satis attendentes, in sententiarum diuortia secedunt. Sunt qui filium Dei, tum temporis promissum Messiam, sunt qui angelum aliquem creatum, sunt denique qui hominem, sed illustri virtute ac dignitate conspicuum, intellectum volunt.

I. Priscos Judeos, κατηχησιν patrum secutos, hic personam aliquam diuinam vidisse, ex iis, quæ RAYMUNDVS MARTINVS ex cod. Sanhedrin nomine R. IOCHANANIS adducit, dispascit:

בְּקַשׁ הָבָה לְהַפְּךָ אֶת כָּל הָעוֹלָם כְּלֹו לְלִילָה וְהַנֵּה אֵישׁ רֹכֶב עַל סֻם אֲדֹם אֵין אִישׁ אֶלְאָחָבָה שֶׁן וְהַוְּה אֵישׁ מְלֹחָמָה voluit Deus benedictus integrum mundum conuertere in noctem, **וְ ecce vir insidens equo rufo, non est homo, sed DEVS BENEDICTVS ipse, de quo dicitur (Exod. XV. 3.) Jeboua vir bellis, insidens equo rufo 5). Quæ ipsa etiam tanquam**

A 3

senten-

5) pug. fid P. III, dist. III, c. XVI p. 846. quem locum latine iam dum exhibuit CALOVIVS bibl. illustrat. T. II. p. 925. & ex illo LAMPIVS diff. de spirit. Sanct. VII. c. X. §. 29. p. 22, 23.

sententiam antiquorum sapientum repetit KIMCHIVS, sed R. SAL, BEN. MELECH truncata exhibit, quoniam caussæ suorum obesse videbat: quod Judæis recentioribus solemne esse, ut priscorum verba vel prætermittant, vel mutilent, adductis exemplis monstrauit erud. POCOCKIVS 6). Ex verbis IOCHANANIS hoc mihi videre videor, virum hunc spectasse tanquam Jehouam pariter ac hominem, θεον Γεωπόνον, qualem vates Mesiām fore, præsignificarunt. Filium Dei hic intelligendum esse, ex Christianis interpretibus, tum antiquis, tum recentioribus, sentiunt plures. CYRILLVS, Zachariam τεῦθεασθεας τον ΚΥΡΙΟΝ ἐν ΕΙΔΕΙ τῷ ΚΑΘ ΗΜΑC 7), pronuntiat. AMBROSIVS ex eo, quod equo insederit, Mesiāe perpessiones præsignifica-tas fuisse existimat 8). Huic ipsi sententiæ dubitanter calcu-lum adiiciunt OECOLAMPADIVS & CALVINVS, maiori id fiducia facit GVALTERVS, quam recentiores magno numero sequun-tur, ex quibus nominare possumus DRVSIVM, LVC. OSIANDRVM, IVNIVM & TREMELLIVM, INTERPRETES BELGAS, DIODATVM, COC-CEIVM, CALOVIVM, CROCIVM, MARCKIVM, HOEKE, GERBADE, alios.

II. *Angelum creatum*, Michaëlem, populi Judaici præsi-dem, hic intelligendum esse, communis fere Judæorum re-centiorum est opinio, ex quibus adpellasse sufficiet R. SAL. ISACIDEM, ABEN ESRAM, KIMCHIVM. Hanc ipsam ex patribus suam fecerunt haut pauci. Ita HIERONYMVS, *hunc Hebrei Mi-chaëlem angelum putant, qui ultor iniquitatum & peccatorum sit Israël;* negandum tamen non est, ipsum mystice per illum intelligere dominum salvatorem, quod in seqq. pluribus declarat. In eundem sensum commentatur THEODORETUS: δεκυντι γαρ αὐτῷ αγ-γελον τον τας λας προσατευοντα. ὁ δὲ ἀγιος Μιχαὴλ ἄτος ήν. Hieronymi sententiam & verba refert REMIGIVS ANTISSIODOREN-SIS 9). Patrum sententiam sectantur fere doctores ecclesiæ Roma-

6) not. miscell. c. VIII. p. 302, seqq. 7) comm. in Zach. opp. T. III. p. 658. 8) in symb. apostol. opp. T. IV. p. 195. 9) biblioth. patr. magn. T. I. p. 742.

Romanensis, quos inter eminent CORN. a LAPIDE, EMM. SA, DE REYROLES, alii. Quam tamen ita exornant, ut Christum minime exclutum velint, litteraliter, quæ Zacharias de viro hoc habet, de Michaële, mystice vero de Christo interpretantes. Hanc ipsam etiam interpretationem in usum suum conuertunt sacrorum Romanensium propugnatores, sanctorum preces pro ecclesia tum in genere, tum in specie, earundemque valorem apud Deum elicientes. Fecerunt hoc fratres WALENBVRGII 10). Ex illis, qui ab ecclesiæ Romanæ consortio alieni extiterunt, huic opinioni pollicem primit ilustr. GROTIUS: *per angelum, inquit, inter myrteta intelligendum Michaelem Judææ gentis sub Deo præsidem, non male ex Daniele, & his, quæ mox sequuntur v. 12. colligunt Ebrai, ut ad h. l. nos docet Hieronymus.*

III. *Hominem, & illum quidem illustrem, Alexandrum Macedonem innui, docet ARIAS MONTANVS.* Cuius interpretationem his proponit verbis a LAPIDE: *noue Arias per virum hunc accipit Alexandrum Magnum, cuius equus fuit rufus, sc. Bucephalus; ita dictus, quod capite & colore similis esset boui, boves autem communiter sunt rufi, præsertim in Græcia, aliisque regionibus calidis.* Quod autem viderit virum hunc stantem inter myrtos, id ipsi denotat *victorias* Alexandri, reportatas a Dario ac Persis, quibus confectis, imperium tandem a Persis ad Græcos transierit. Quam ipsam etiam refert 10. de REYROLES. Hanc sententiam quod *nouam* adpellat, in eo fallitur oppido, ipsam illam enim ante Ariam in medium protulit ABARBANEL, qui non solum in hac visione *Alexandrum insidentem Bucephalo offendit*, verum etiam alias illius res hic delineatas esse aumat. *Myrti* sunt ipsi *iusti* illius ætatis, quos inter Simeon iustus excelluerit, a quibus Alexander, tanquam vir stans inter myrtos, ubi benigne acceptus, incolumentatem vrbi atque templo indulserit. Quoniam autem myrti in profundo conspicie-

10) comp. controv. partic. c. XVI. p. 10, & de vnic. eccl. L. XII.
p. 214. opp. T. II.

spiciebantur, cum profundum ex sententia sapientum non sit nisi Babel, mortem Macedonis præcipitatem, quæ ipsum Babyloniam perdomuerit, præsignificari censet. Adhæc SAL. BEN MELECH adfirmat, esse ex interpretibus, qui per virum hunc *Nebucadnezarem* intelligi velint. Sed vereor, ne tribulum suorum sententiam confuse perscripserit. Sunt denique, qui visum hoc Zacharianum de IV. mundi imperiis, sibi inuicem successuris, accipiunt, cumque vaticinio Danielis c. II. componunt; igitur equus ille rufus inter myrtos est *Nebucadnezar*, a quo distinguunt virum insidentem, qui ipsis est *angelus Domini*. Sententiam hanc patris sui fuisse adfirmat KIMCHIVS, quod ipsum etiam BEN MELECH, parum sibi constans, in seqq. adseuerat.

§. IV.

De his interpretum sententiis ut iudicium nostrum exprimamus, instituti ratio postulat, in quibus examinandis, ordine retrogrado recedentes, ad illam progrediemur, quam verissimam esse iudicamus. (I.) Homo & quidem Alexander intelligi nequit, quia (1) insignis titulus angeli Domini eidem aptari haud potest, (2) scopus Dei fuit, credentes ex Judæis confirmare, ne animo caderent, sed fiduciam potius conciperent, hostium suorum molimina irrita futura. Ecquod vero solatium piis inde adferri poterat, si quando Alexander, post plurimorum annorum decursum extiturus, Persarum imperium euerteret, ac aliquo Judæos beneficio mactaret, cum auxilium atque leuamen in præsentia requireretur. (3) Myrti in profundo sunt iusti ex Judæis, qui igitur, quæso, profundum mutata relatione designare potest Babylönen: ne quid dicam, opinionem hanc cum reliquis visi huius partibus conciliari non posse. (II.) Qui angelum Michaëlem intelligunt volunt, si per illum intelligunt principem omnis exercitus cælestis, qui secundum characteres, quos viri diuini eidem adscribunt, alias esse nequit, quam quidem ipse Dei filius, certe non committunt aliquid, quod cum



cum veritate in concordiam mitti non possit. Qui vero illum tanquam creatum angelum, populi Judaici præsidem respiciunt, illi multis se impediunt difficultatibus, quibus se vix ac ne vix quidem expedire possunt. Ut enim taceam, (α) opinionem de peculiaribus angelis tutelaribus, regioni siue terra τ cuidam præpositis, neque scripturæ, neque rationi conuenire, (β) sermo vatis nostri eiusdemque συναφεια spiritum aliquem creatum prorsus excludit. Adpellatur נלאך יהוה v. 11.

12. imo יהוה v. 13. is igitur angelus est intelligendus, qui simul est Jehoua, magnus ille patris legatus, æternus Dei filius, qui ante suam in carne manifestationem voluntatem Dei hominibus haut raro significauit. Qualis vtriusque nominis conuersio etiam habetur c. III. 1. 2. Quare (III.) hoc teneamus, filium Dei sub externa hominis specie vati nostro visum fuisse. Is enim (α) nomine *angeli Dei*, *angeli faciei Dei*, *angeli fæderis* in V. T. scriptis frequentissime venit, per quem ipsi prisci Judæi non angelum aliquem creatum, sed increatum, ipsum Deum intellexerunt, quod adductis antiquorum testimoniis probatum dedit doct. EISENMENGERVS 11). Addamus testimonium satis luculentum, ex antiqua patrum κατηχουσαι procul dubio profectum, in quo angelus Michaël nobis proponitur tanquam intercessor, munere hoc suo in cælis fungens, שׁבו ירושלים ובירת המקדש זבול habitaculum, cælum, מוכח בניו ומיכאל השר הנורל צומד ומكريב עלייו קרבן in quo est Hierosolyma (cælestis Ebr. XII, 22.) שׁ domus sanctuarie ALTARE exstructum, prope quod MICHAEL angelus magnus stat et of fert super illo sacrificium (conf. apoc. VIII. 3.) 12). (b) Quia huic negotiorum ac moliminum suorum rationem reddunt angelii, a tergo ipsius constituti, quod facere non tenentur nisi Deo, cuius prouidentiæ tum generali, tum speciali ministro-

B

rum

11) Endektes Judenth. L. I. c. XVIII. p. 848 - 850. 12) Hagig. c. II. ex edit. Cl. HOTTINGERI p. 27. conf. vorstivs ad Maimon. de fundam. leg. c. III. §. I. p. 27.

rum instar seruiunt. (c) Intercessor populi Israëlitici non est nisi eiusdem vindex atque adsertor, qui vi sponsonis æternæ patrem poscere poterat, ut pax ac tranquillitas eidem restitueretur, ne aduersariorum potentia pessum iret, sed potius templum, ad quod tanquam dominus venturus erat, ac vrbs, ex qua reliquias sancti seminis olim collecturus erat, ex ruderribus suis emergerent. Quæ ipsius sponsio quoniam firmo ac immutabili Dei consilio innitebatur, ac λυτρω, suo tempore certissime persoluendo, sancta erat, etiam ante quam voluntatem hanc patris sui ipso actu effectui dederat, populi sui caussam agere potuit Job. XXXIII. 23. 24. coll. Jes. LXIII. 9. (d) Cuius nomine spiritus sanctus (quod in antecessum sumimus, §. XIV. pluribus demonstrandum) verba bona ac solatii plena, quæ ad Judæos, metu ac solicitudine percuscos, reficiendos faciebant, v. 15 - 17. pronuntiat, ille vtique persona diuina, ipse Dei filius esse debuit. Igitur אִישׁ appellatur, non ac si ex peculiari angelorum ordine fuerit, quos אֲשֵׁים dicitatos esse fingit MAIMONIDES, qui המדברים עַמּ חֲנֹבְיָאִם נְרָאִין לְהָם בְּפִרְאָה הַנּוּבּוּאָה locuti fuerint cum prophetis וְadparuerint ipsis in visione 13), sed quoniam sub externa specie hominis, quinimo viri conspicui ac excellentis, tanquam vindex, propugnator atque intercessor populi Israëlitici vati est oblatus.

§. V.

Cognita persona viri huius, animum intendamus oportet, ut (l.) illius adiunctum nobis familiare reddamus, cuius beneficio dignitas atque officium viri huius magis innotescet. Describitur a vate רַכְבָּן עַל סָלֶם. Generalis verbi significatio hæc est, ut denotet rei alicui eminere cum vi ac potentia externa eandem subigendi, flectendi, dirigendi. Hanc illi propriam esse adpareret ex ἐργοῖς ὑπὲρ ἡκάστη ἀδηλοφα, eminere fac manum tuam arcui cum vi quadam ac potentia

13) c. l. c. II. §. 9.



tia externa , vt illum flectas atque dirigas 2. Reg. XIII. 16.
הרכבת אָנוֹשׁ לְרִאשֵׁנוּ *equitare*, i.e. eminere fecisti cum insul-
tatione quadam *bominem capiti nostro* Ps. LXVI. 12. **הרכבהך** רַכְבָּךְ *equitare feci* i. e. eminere feci te excelsis terræ Jes. LVIII. 14. Quæ ipsa significatio obtinet, vbi Deus dicitur *equitare super
caelos* Deut. XXXIII. 26. Ps. LXVIII. 34. quoniam ipse est e-
minentior cœlis omnibus ac mirabilia potentiae suæ effecta e-
dit in cœlis & per cœlos. Hinc recte omnino censet MAIMO-
NIDES notioni **רַכְבָּךְ** significatum *domini inesse* 14). Quoniam
autem is , qui iumento vehitur , illi eminet, illud domat, mo-
uet & dicit, prout & quocumque libuerit , illoque tanquam
instrumento aliquo pro beneplacito suo vtitur , verbum
רַכְבָּךְ ad illum actum designandum adhibetur : quo ipso etiam si-
gnificatu apud Arabas venit, quo de videri possunt CASTEL-
LVS & GOLIVS. Talis hic nobis **vir ille** proponitur *infidens equo*, quæ verba LXX. conuertunt ἐπιβεβηκως ἐπι, vel,
vti in Alexandrino cod. legitur, ἐφ' ἐπον. Quam interpreta-
tionem, me quidem iudice , præter rationem solicitat MAR-
CKIVS, qui forsitan in oculis habuit id , quod IVL. POLLUX ob-
seruat 15), conuenientius ἐπικαθίσεν, Βιατρεgov durius ἐπιβα-
vev de equis dici. Quæritur tantum , num verbum ἐπιβανω vim
verbi **רַכְבָּךְ** commode exprimere possit? Verbum **רַכְבָּךְ** & *adscen-
sum* & *sessionem* & *progressum* ambitu suo inuoluit , cui verbum
ἐπιβανω satis apte respondet. Ita enim aliquando simplicem
sessionem exprimit Leu. XV. 9. aliquando *adscensum* & *sessionem*
a progressu distinctam 2. Sam. XIX. 27. 1. Reg. XIII. 13.
Omnem verbi **רַכְבָּךְ** ambitum circumscribit, vbi de Messia di-
citur ἐπιβεβηκως ἐπι εὐος Zach. IX. 9. Matth. XXI. 5. Vim igi-
tur verbi huius minus adsecutus HIERONYMVS, reddendo *ad-
scendens*. Quod autem *equo infidens* repræsentetur, **למורות שליחות**

B 2

ad

14) more neuoch. P. I. c. LXXX. p. 128. seqq. 15) onqm. L. I. c. XI.
 p. m. 54.

ad indicandam celeritatem missionis ipsius, quæ sententia est KIM-
CHII, quo cum paria habet THEODOREIVS, nimis est generale,
specialius significari existimari relationem, quam in hoc
viso ad populum Judaicum vir ille habet. Equi aptantur il-
lis, qui in bellum sunt ituri Jer. L.42, coll. Ps. XXXIII. 17. Qua
de causa equus symbolum belli, indeque secuturæ pacis habe-
tur, quod VIRGILIVS obseruat, Anchisen ita loquentem in-
troducens:

bellum o terra hospita portas.

BELLO armantur EQVI: BELLVM bæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim currū succēdere suerū
Quadrupedes, & frena iugo concordia ferre.
Spes est PACIS ait 16).

Potius igitur adparatus, quo se vir hic conspiciendum dedit,
fuit bellicus. Quare utroque pollice premo, quod CYRILLVS
notat: *αντίθεσαι δια τεττά τον δίοντα πως ἐμπειροπολεμον καὶ ἔσδο-
τα τα τακτικα 17).* Non miles aliquis gregarius, sed impera-
tor in hoc nobis emblemate exhibetur, qui quidem loco suo
consistebat, paratus tamen hostium impetum reprimendi, si
quam vim hostilem tentaturi essent, eosdemque conficiendi,
quo suis salutem, adflictam adhuc, restitueret. Si quando rei
militaris scriptores equitum præfectos nobis describunt, eos-
dem equis pariter insidentes proponunt. Ita quippe VEGE-
TIVS: *eligendus est decurio, qui turma equitum preponatur, in primis
babili corpore, ut loricatus & armis circumdatus omnibus, cum summa
admiratione EQVVM possit ADSCENDERE, EQVITARE fortissime 18).*
Sic Messias tamquam dux atque imperator, rem suam feliciter
gesturus, nobis effigiatur *equo insidens* Ps. XLV. 5. & ad modum
huius nostræ visionis expressum videtur id, quod habemus
Ap. VI. 2. Adhæc, *positus viri huius militiæ ducem aliquem at-
que imperatorem* nobis exhibit. In fronte locatus erat, cu-
ius tergum premebant equi. Moris autem est, ut fortes ac
pru-

16) Aeneid. L. II. 539-543. 17) in Zachar. opp. T. III. p. 659.

18) *dere milit.* L. II. c. XIV. p. m. 38.39.

prudentes imperatores in primis ordinibus versentur, quo milites hortentur, ipsos in hostes ducant, aciem instruant, ac animum addant. Apud ipsos Ebræos *duces in fronte populi positos fuisse*, non sine ratione adfirmat MAIMONIDES 19). Certe vir ille, strictum gladium manu sua tenens, qui se *principem exercitus Domini* fatebatur Jos. V. 13 - 15. coram Josua constiebat, adeoque exercitum populi Israëlitici, qui tum temporis in obsidione vrbis Hierichuntinæ hærebat, præcedebat. Quo de doctiss. MASIVS omni iure pronuntiat, *fuisse aeternum Dei filium & perpetuum principem directorem que populi Dei* 20).

§. VI.

Adparatu*m* huic adcommodus est admodum color, quo equus, cui insidebat vir hic, pingitur. Erat סומָם *equus ruber*. Græcus interpres reddit πυρετόν, quasi ignis colorem fuerit imitatus, סְמֹונָק *rubicundus, ruber*, interpres Chaldæus, quo ipso colore equi occurunt Zach. VI. 2. Apoc. VI. 4. Intelligendus est color, qualis est sanguinis in animalibus, vnde vox אֲדָמִים per adiectam רַם explicatur 2. Reg. III. 22, vel qui ad coccineum proxime accedit Jes. I. 18, qui color in equis spadiceus, itemque balius adpellatur, quo colore qui tincti sunt equi, maxime laudantur 21). Inde nouum argumentum nobis exsurgit, in viso hoc prophetico imperatorem effigiari, ad vindictam ab hostibus sumendam paratum. Bene admodum monet HEODORETUS: το δε τα ἵππα πυρετὸν τὴν κατὰ τῶν ἔθνων αγανάκτησιν ὅλοι. ὑφαιμον γαρ καὶ ὑπερευθρον το Θυμοειδες 22). Ex symbolis, quibus scriptura utitur, hoc firmatum videmus. Jesaias vindicem illum populi Dei, victoriam ab hostibus reportantem, proponit nobis rubris indutum vestimentis Jes. LXIII. 1. 2. vel quoniam heroes bellici talibus ornati vesti-

B 3 bus

19) de regib. ex interpr. Leydeckeri c. Vli. 6. 4. p. 106. fasc. IX. collect. Cren. 20) in Jos. bibl. crit. T. II. p. m. 134. 21) ANT. THYLES. de color. p. 169. conf. ISIDOR. orig. L. XII. c. I. p. III 4. 22) opp. T. II. p. 887.



bus procedebant, vel quia recenti hostium cæde vestes sanguine respersæ erant. *Paludamentum*, qua voce, notantibus VARRONE ac S. POMPEIO FESTO 23), omnia *insignia & ornamenta militaria* prisci designabant, speciatim *clamydem purpuream* significat 24). Vestem hanc ISIDORVS HISPALENSIS describit, *paludamentum* erat *insigne pallium imperatorum*, COCCO PVRPVRA que *& auro distinctum*, quod vbi induisset *imperator*, palam faciebat, BELLVM futurum 25): hinc illud proprium dicitur imperatoribus APVLEIO 26), & PLVTARCHVS nominat ζερνημνην ἐοθητα. Deos etiam aliquando *paludatos conspectos* fuisse, poëtarum testimoniis comprobatum dedit NIMTSCHIVS 27). Quod de paludamento in medium protuli, accurate consentit cum eo, quod rei Romanæ scriptores memoriae proditum reliquerunt. In prælium quippe *euntibus*, VALERIO MAXIMO auctore, *album aut purpureum paludamentum dare solebant* 28), vtrumque in signum prosperi eventus. Prius, vt spem de victoria reportanda testarentur, posterius vt fiduciam suam declararent, fore, vt imperator hostium sanguine pacem redimeret. Quare mali ominis signum habebatur, vbi Craffo, contra Parthos motu*ro*, *paludamentum pullum* tribuebatur. Nec huius coloris vestis propria erat imperatoribus solum, verum etiam eodem *infestati* amiciebantur milites gregarii. Obseruat hoc scholia *HORATII* 29), cuius verba hæc sunt: *Romani milites in bellum eunt COCCINEIS sagis vtebantur, vt ne quis vulneratus, cruentoque suo respersus, terrorem incuteret sociis, nam coccineus color cruentis similis est.* Ex his igitur certum est, imperatores vestibus coccineis amictos, faulti ominis ergo, ad prælium se se accinxisse, qui vbi reuertebantur, purpureis pariter ornati vestibus, viam

23) p. 31. 355. 24) NON. MARCELL. de propr. serm. p. 787.

25) orig. L. XX. c. XXIV. p. 1302. confer. LAZ. BAYF. de re ve-

stiar. c. XI. p. 49. seqq. 26) apol. p. m. 288. 27) diss. de

GeoΦavex Dewy §. 21. p. 56. 57. 28) L. I. c. VI. n. II. p. m. 70.

29) ad libr. epod. od. IX. v. 28.

viam inter festivas populi adclamations læti carpebant, In-
nuit hoc Sulmonensis vates :

*Has super in curru, Cæsar, victore veberis
PVRPVREVS populi rite per ora tui.*

*Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum;
Vndique iactatato flore tegente vias 30).*

Quare cum color *ruber coccineus & purpureus* non sine ratione in paludamentis imperatorum eligeretur, ubi & copias suas in hostes ducabant, & victoriis onusti ad lares suos redibant: color equi huius felicem certaminis euentum, quod princeps militiae populi Dei aditus erat, vati ac piis ex Israëlitarum gente ob animum & oculos posuit. De eo ut certiores redderetur Abrahams progenies, plurimum sane referebat. Ab aliis hostium suorum aperto lacescebantur marte, ab aliis per cuniculos petebantur, nec, cum illorum opes attritæ essent admodum ac prostratae omnino, nulla super spes illis erat, quam quæ reposita in illo, qui pios patres a pluribus retro sacerulis portauerat, inque re angusta præsentissimum auxilium, ubi afflictionibus subacti ad gratiam diuinam se receperant, præstiterat. Qui mysterium hic aliquod quærunt, per *equum rubrum* designari *corpus*, quod ex casta virgine adsumit optimus solspitor 31), & id quidem propterea, quoniam terra, unde suam traxit humanitatem in primo homine, *rubra seu rufa* fuerit, cui *diuinitas* velut *equo ruso* insederit, quod de REYROLES 32) sibi persuadet, vel quod corpus eius sanguine in diris suis perpetzionibus rubuerit, quod autumat REMIGIVS ANTISSIODORENSIS 33): videant, ne iustos doctrinæ allegoricæ limites transmittant, ac vagæ imaginationis impetu abrepti, eas commentationes protrudant, quæ fundamento omni destituantur. Hoc cuique attendenti facile adparet, filium Dei,

qua

30) trist. L. IV. eleg. II. 47 - 50. 31) AMBROS. in symb. apost. opp. T. IV. p. 105. 32) in Zach. p. 237. 33) biblioth. magn. patr. T. I. p. 742.

qua nasciturum olim, & ob perpessionum diritatem sanguinis
imbre perfusum, in hoc viso mitrime proponi.

S. VII.

(II.) Situm viri huius definit vates **הוּא עָמֵר בֵּין הַהֲרִים**
וְיֶшְׁבָתָה inter myrtos. Lectionem hanc genuinam esse, eo
minus mihi est dubium, quoniam illam interpres Chaldaeus,
סָתִיס אֲנָקִים, retinet, conuertendo **וְהָיוּ קָם בֵּין אַלְנִיאָה**
וְיֶשְׁבָתָה consistebat inter arbores myrtorum, siue myrtetum, de
adsumento isto **דֵּי בְּכָל** quae erant in Babel, postea videbi-
mus. Quare græcum, legentem, **וְיֶשְׁבָתָה** **αἱρεσῶν τῶν κατασκιῶν** inter montes umbras, minime moramur.
Qua de lectionis differitate, vnde illa ortum traxerit, queri-
tur inter eruditos. Erudit. DRVSIVS **הַהֲרִים** pro **montes** pro
myrtis legisse suspicatur, quod additur **κατασκιῶν** per metonymy-
miam effectus facili negotio ex **בְּמַצְלָה** extundere potuit,
quia contradictionem inuoluebat dicere montes in profundo;
montem autem umbram promittere, abunde constat. Cui
coniectræ & ipse album adiicerem calculum, modo ex hac
ipsa ratio reddi posset, quare in cod. *Alexandrino* & apud CY-
RILLVM duo ὄγεων & in *Aldina* editione duo τῶν ὄγεων legatur. Po-
tiori igitur iure hoc adfirmauerim, interpres visum hoc no-
strum composuisse cum illo, quod c. VI. 1-3. Zachariæ est
monstratum, in quo exhibebantur ipsi duo montes *αινεῖ*, ex
quibus *equi* prodibant, iisdem fere, quibus nostri, infecti co-
loribus; quæ opinio cum animis ipsorum federet, montes il-
los nostro intulerunt. Quam lectionem animaduertentes an-
tiquæ ecclesiæ doctores, quos patres adpellare moris est, cum
ob idiomatis Ebræi imperitiam ad ipsos fontes regredi minus
liceret, quinam illi duo montes sint, inuestigare sunt adgres-
si. CYRILLVS *Alexandrinus* montem *Sionem* & *Samariae*, THEO-
DORETVS, Cyri episcopus, interpres alias prudens ac industrius,
ad allegoriam conuersus, per montes *firmitatem* ac *sublimitatem*
angelici praesidii, per *umbram diuine prouidentiae certitudinem*, sub
qua



qua piis tuto dolitescere liceat, indigitari existimant. Bene tamen sese habet, quod Theodoretus addit, AQVILAM & SYMMA-CHVM non ḏēn, sed μυρτινων myrteta legisse; quem ad modum etiam HIERONYMVS lectionem Ebraicam a prisca Itala interpretatione, in qua legitur *inter duos montes umbrosos*, discrepare obseruat. Denotat autem μυρτινων locum myrtis consitum, a μυρτην, pro qua attice dicitur μυρτην, quæ vox, vii PHAVORINVS docet, & fructum & locum, in quo myrti proueniunt, significat. Apud Ebraeos vox חַדְם tantæ est amplitudinis, vt & arborem & locum, in quo floret, & fructum, quem profert, exprimat. Radicem apud Ebraeos superstitem non habet. Apud Chaldæos est חַדְמ saliit, subsiliit, saltitauit, Syris est חַדְמ studuit, diligens, solicitus fuit. Inde num vocis חַדְמ origo arcessenda, aliis disquirendum relinquo: saltim natura myrti non repugnat, quæ, vti Cel. HILLERVIS obseruat, natura sua est fruticosa & penitus παρεπλασικη, multos a radice pullos emittens, & maxime est fertilis, bis ferens 34). Ab hac ipsa voce puella illa Judaica, quam postea Ahasuerus rex matrimonio sibi iunxit, a Mardochæo adpellata est אֶסְתֵּר Esth. II. 7. cui nomen Persicum אֶסְתֵּר, quod Persis pariter myrtum denotat 35), responderet, quod confirmatum dedit HILLERVIS 36), ex cuius sententia est compositum ex מִרְט myrtus & תְּרֵה ther, vt sic myrtum nigram designet. Quare vero a myrto fuerit nuncupata Estheram, illius rei rationem explanat Targum, adpellarunt illam אֶסְתֵּר quoniam ipsa erat iusta, & iusti, qui similes existunt אֶסְלָה myrto, Estheram adpellarunt, eo quod modesta erat in domo Mardochai.

§. VIII.

Quas vidit myrtos vates, בְּמַצְלָה in profundo fuisse dicuntur, quod additur, tum ne quid naturæ emblematis aduersum diceretur, tum vt concinnitas toti huic viso constaret, ac emblemata rebus, quarum signa exsistebant, responderent.

C

Vox

34) Hieroph. P. I. p. 233. 35) CASTELL. lex. heptagl. col. 807. 36) c. I. p. 237.

Vox **מַלְחָה** denotat profunditatem, & illam non generalem, sed qualis speciatim deprehenditur in aquis, & quidem maris voraginibus Exod. XV. 5. coll. Zach. X. 11. Ps. LXVIII. 23. Mich. VII. 19. quibus quoniam res, quæ immittuntur, plane obtenguntur, vt in conspectum non veniant, tenebræ illis adscribuntur Ps. LXXXVIII. 7. Juxta has profunditates conspectæ sunt myrti, littera enim **בָּ** præmissa commode per prope, vel iuxta conuerti potest, vt Jof. XXIV. 26. 2. Sam. XVII. 18. 2. Chronic. XXIV. 8. alia exempla ex NOLDIO repeti possunt. Vedit igitur vates locum aliquem declivem, vel mare, quod suis littoribus erat instructum, & prope illud myrtetum; quod vtrunque ad emblematum concinnitatem multum facit. Myrtos inter illas arborum species refert SALLUSTIUS, quæ HVMI arido atque arenoso gignuntur: 37) ubi illud *bumi*, quoniam in vocibus *arido* atque *arenoso* nomen *solo*, quod SCIOPPIVS obseruauit 38), deest, qualitatem loci designat. Nec dubium est, quin profunditas haec prope aquas fuerit conspecta. Quod ipsum etiam naturæ myrtorum probe conuenit, quæ, quod SERVIVS notat 39), littoribus gaudent, ut ipse VIRGILIVS canit:

LITTORA myrtetis latissima 40),

vbi loca myrtis confita pro myrtis, quæ prope littora felicius proueniunt, ponuntur. Quando igitur adfirmamus, myrtos has prope aquarum fluenta vati fuisse visa, nihil adseueramus, quod a myrtorum indole est alienum. Animaduertit hoc iamdum ABEN ESRA & ABARANEL: *in profundo*, **כִּי בְמַלְחָה**, *בריכת מֵים וּסְכִבּוֹתָה הַדְּסִים*, quoniam *in profundo* est alueus aquarum & circa illum *myrti* sc. sunt conspectæ. Locum hunc terram Babyloniam fuisse, Judæorum doctores, IONATHANEM secuti, qui verba nostra conuertit, *inter myrteta*, quæ erant in Babelo,

37) Jugurth. c. XLVIII. conf. quæ Cocceius ex Matthiolo & Theo. phrastro ad h. l. notauit, 38) ad Sanctii Mineru. L. IV. p. m. 478. edit. Perizon. 39) ad Virgil. Georg. L. II. 64. 40) Georg. L. II. 112.

Babole, adseueranter pronuntiant. Fecerunt hoc KIMCHI, ABAR-BANEL & R. SAL. BEN MELECH. Quam sententiam sequi videatur HIERONYMVS, saltetem Judaeorum interpretationem absque vlla addita ētr̄m̄p̄t̄es pr̄termittit: *Et quod steterit inter myrteta, quae erant in profundo, per myrtos intelligi volunt prophetas & sanctos, qui in medio captivi populi versabantur, Et erant in profundo, consentit REMIGIVS ANTISSIODORENSIS.* Vnde hoc consequeretur, visum illud prophetæ, in terra Babylonica existenti, obiectum fuisse; saltim populum Judaicum, in Babylonia detentum, respexisse. Sed obseruari velim, $\alpha)$ vatem Zachariam una cum reducibus in terram Judaicam iamdum fuisse reuersum ac tribules reduces compellasse Esr. V. 1. VI. 14. Sed $\beta)$, quod magis stringit, visio hæc spectat Judæos, post diuturnum exilium in terra sua versantes, quorum animi cum interspem atque metum dubii ac suspensi hærerent, elegantissimo hoc viso erigendi. Denique $\gamma)$ myrti, quod statim dicere adgrediar, præsentem Judaorum in terra sua statum commodissime depingere possunt. Vnde visum hoc Zachariæ in terra Judæa obtigisse, Judæosque in terra sua, non qui remanserant in terra Babylonica, respexisse, ac illorum statui adcommodatum fuisse, iudico.

§. IX.

Cuius autem rei signum extiterint myrti, inter interpres non omnino conuenit. Quidam modum *reuelationis* huius per myrtos in profundo declarari statuunt, quæ obscura sit ac perplexa. Quod cum specie quadam dici posset, si quidem myrti in altum adsurrexisserent, ut virum illum plane obumbrasissent. Profunditas, vti §. VIII. demonstratum est, ad concinnitatem symboli, non ad modum *reuelationis* spectat. REMIGIVS ANTISSIODORENSIS per myrteta itelligit angelicas potestates, quæ Christo in carne posito ministrarint. Sed vero Christi manifestationem in carne per visionem hanc præsignificari, probari nequit. Præterea equi consistentes post virum inter myrtos designant angelos, igitur myrti rerum ab angelis diuersarum symbola esse debent. CORNEL. a LAPIDE *Christum ex Mariavir-*
C 2 *gine*



gine procreatum hic vidit, sed quam lynceus etiam voluit esse Loiolita, non tamen animaduertit, virum hunc non prodisse, nec ascendisse ex myrtis, sed in illarum medio conspectum fuisse. Ad veritatem proprius accedit, quod iamduum R. IOCHANAN obseruauit, **אֵין חֲדָסִים אֶלָּא צְדִיקִים** *non sunt myrti, nisi iusti* 41), R. DAV. KIMCHI generatim Israelitas intelligit. Quod symbolum adeo peruulgatum inter Judæos, ut etiam in prouerbium abierit **אַפָּא דָקָא בֵּין חֲלִיפִי אַפָּא שְׁמִיה וְאַפָּא קָרוֹלָה** *myrtus stans inter vrticas, myrtus nomen eius, & myrtum vocant eam* 42), cuius sensum hunc volunt esse, Israëlitas nomen sanctum manere, licet in peccata incident. In sacris litteris per myrtum intelligitur is omnis, qui ampliore viarum Dei cognitione instructus, spiritus sancti vberioribus donis delibutus, fructus Deo acceptos in laudem ac gloriam eius, aliorumque ædificationem profert Jes. XLI. 19. LV. 13. Quare IONATHAN in posteriori loco vocem **הַדָּס** non inepte interpretatur per **דָהַלִּי חַטָּאת** *metuentes peccatum*, vel cauentes sibi a peccato. Et certe myrti Israëlitarum, & speciatim piorum, & quidem quales tum erant, symbolum sustinere possunt. Myrti (1), quas inter filius Dei comparebat, erant positi in profundo solo: sic Israëlitæ diuturni exilii molestiis subacti, non alta spirabant, sed ipsorum animi humi repebant, viribus suis diffisi, auxilium omne a Deo vnice præstolabantur. (2) Myrti crescunt in arenoso loco, quem tamen aquarum fluenta adlidunt atque irrigant. Ira Dei, quæ ipsos adhuc exagitauerat, ac hostium furores, quibuscum diu admodum colluctati erant, omni fere solatio illos exhauserant, ut efferuentia diuinæ æstu ac aduersariorum violentia confecti fuissent omnino, nisi benignitatis diuinæ ac gratiæ supremi Numinis fiducia, latum instar irriguorum, refecti essent. (3) Myrtus habebatur sym-

41) apud RAYM. MARTIN. I. c. 154. & 773. 42) BXVATORF, lex Talmud. p.

symbolum venustatis ac amoris, uti Esther procul dubio ob insignem suam formam ac decentes mores פְּרָתָן a myrto, ab amabilitate sua est dictitata Esth. II. 7. Est enim myrtus, ut verbis PIERII VALERIANI 43) utar, arbuscula omnium delicatissima, perpetuo tam virore spectanda, quam foliorum specie, suauissimoque odore praestans, ut non immerito sit Veneri, deae omnium delicatissimae, dedicata 44). Sic Israëlitæ, foedati licet, quod ad externam speciem, ob calamitatum grauitatem, his ipsis vero meliora endoti, ad Deum seria poenitentia redeuntes, amorem Dei ac redemptoris sui de nouo prouocarunt, ut se illis dehinc bene facturum ac pupillæ oculi sui instar defensurum esse, sit pollicirus. (4) Myrtus perpetuo virore vigebat 45), ex eiusdemque baccis succus gratissimus exprimebatur. Quare PLINIVS adfirmat: *succorum natura præcipuum admirationem in myrto habet, quando ex una omnium olei vinique bina genera fiant* 46). Hoc igitur symbolo pios ex Israëlitarum gente monitos voluit Deus, ut in pietatis omnisque virtutis studio constanti animi proposito persisterent, eaque opera ederent, quibus Dei fauorem ac gratiam sibi adiungerent, suauissimumque de se odorem spargerent, quem admodum myrtus, *Aegyptiaca potissimum, perhibente PLINIO, odoratissima erat.* (5) Myrtus habebatur symbolum latitiae, quare illi, quibus oratio decernebatur, *corona myrtea caput redimiti, urbem ingrediebantur, qua ipsa postea ornabantur, quibus triumphi honos* 47) adiudicabatur, cui usui etiam adhibita fuit in coniunctis & epulis. Inde igitur Judæi promissis Dei firmiter innitentes, cer-

C 3

to

43) hierogl. L. L. f. 373. col. 2. 44) Veneri sacram fuisse, docent SERVIVS ad Aeneid. L. V. 72. schol. HORAT. ad L. III. od. IV. 19. 45) PLINIVS H. N. L. XVI. c. XX. p. 321. 46) L. XV. c. XXIX. p. 308. conf. quæ HILLERVIS ex Matthiolo ac Diodoride L. I. c. 128. p. 232. notauit. 47) PLIN. l. c. PIER. VALERIANVS c. l. conf. VAL. MAXIMVS L. III. c. VI. p. m. 305. A. GELLIVS N. A. L. V. c. VI. DEMST. ad ROSIN. p. 1620, 1621. it. p. 1689.



DE VIRO STANTE

to persuasi esse poterant, fore, vt ipsorum luctus in lætitiam conuerteretur, deque hostibus suis læti triumphum agerent, ac Deo pro auxilio præstito ouantes atque triumphantes gratias persoluerent. At enim uero nil quidquam horum tuto præstolari potuissent, nisi certi fuissent, filium Dei vindicem atque principem exercitus diuini in medio sui versari. Hic, cum humiles essent, neque a terra altius se tollere possent, omni præsidio externo destituti, vt hostes vndique impetum facere, ipsosque proculcare potuissent, potentia sua aduersus omnem impressionem defendere erat potis, spiritus sui dotibus ita exornare, vt Deus, cum ante ira in ipsos effebuisset, gratia ac amore complecti posset. Cuius inuicto robore fretri, certissimam hanc animo suo concipere poterant fiduciam, in ipso victores exstituros, ac hostibus suis præualituros. Nec absque ratione locus hic myrtis consitus, tanquam emblema ecclesiæ Judaicæ nobis proponitur, vti locus *patens* atque *apertus*, cum alias instar vineæ ac horti sepimento atque maceria probe muniti ac ab omni parte *clausi* effigietur Jes. V. 5. Thren. II. 6. Ps. LXXX. 13. coll. Matth. XXI. 33. Cant. IV. 12. Quo ipso primo quidem misera Judæorum conditio indigitatur, quippe enim, vbi adhuc Deus auxilio suo ab ipsis discesserat, liberæ hostium excursioni, nemine prohibente, expositi erant. Inde vero monentur pii, non esse quod de rebus suis sint solliciti, quod externa potentia se spoliatos videant, cum Jehoua ipse cum præsidio angelico sit in medio sui, qui futurus esset *murus igneus circum circa* Zach. II. 9. Denique tacite innuitur, myrtetum hoc futuris temporibus ita ampliatum ac protensum iri, vt etiam *myrti*, i. e. homines spiritualibus donis decorati, sapientia cælesti omnique virtute ac pietate vigentes in, vastissimis gentium solitudinibus Jes. XL. 19. quibus termini nulli, quam quos extremus orbis ambitus posuit, sint exstituri.

§. X.

Contemplatio viri stantis inter myrtos dicit nos (*B*) ad
con-



considerationem *equorum*, qui post ipsius tergum locati erant. Qui quoniam nutum viri illius obseruabant, mandato eiusdem per terram, ad illius statum explorandum, emissi erant, ac voces reddunt, quibus rationes expeditionis suæ exprimunt v. 10. 11. non nudi equi, sed instructi sessoribus suis iisque ratione ac consilio agentibus, sunt intelligendi. Relatorum ea est natura, ut ob mutuum, quem inter se habent, nemus, altero nominato, alterum, maxime ubi quæ circumstant, id patiuntur, simul intelligi debeat. Equi nominantur, simul vero illorum rectores inuoluuntur Jer. XLVI. 9. quem ad modum vice versa, obseruantibus A GELLIO 48), MACROBIO 49) & SERVIO 50), pleraque veterum *etas*, & *hominem equo insidentem*, & *equum*, qui *insideretur*, *equitem dixerunt*. Per hos equites quinam intelligendi, de eo videndum in seqq. In praesentia speculandis tantum illorum coloribus, quibus ab inuicem distinguuntur, immorabimur. Nominantur אַרְמִים שָׁוֹרִקִים יַלְנִים, ex quibus coloribus primus & ultimus difficultatem non habent, medius crucem multam fixit interpretibus. Vocem סִטְמִין אַרְמִים Chaldaeus reddit Vulgatus *rufi*, cuius coloris equi etiam iuncti erant currui primo, qui ex monte æneo prodibat Zach. VI. 2. conf apoc. VI. 4. Qui color græcis scriptoribus dicitur στρατός, ζεῦς, παράγος, frequentius πυρές, latinis *rufus*, item *burrus*, quod testimoniis in medium prolatis demonstrauit BOCHARTVS §1). Vox לבן *albus*, *candidus*, satis nota, quo colore infecti equi nobis occurunt Zachar. VI. 3. 6. apoc. VI. 2. XIX. 11. 14. quales equi inter præcipuos referebantur, ac alios cursu præstare censebantur. Intelligendus autem color *candidus*, qui nitenti quadam luce perfusus erat: cum contra color, qui huic vicinus erat, minus probaretur. Maiori difficultate implicita est

VOX.

48) N. A. L. XVIII. c. V. p. m. 1028 - 1030. 49) Saturn. L VI c. X. p. m. 569. 570. 50) ad Georg. L. III. 116. 51) hieroz. L. II. c. VII. p. 104.

vox שָׁקֵם, ad cuius explicationem vbi accedit R. SAL. ISACIDES ingenue fatetur *ignoro*, *qualis color sit*, & KIMCHI, qui tamen in eruenda genuina vocum Ebræarum significatione multum operæ posuit, dubius hæret, מין צבע שלא נחרבר אצלינו מה הוא est species coloris, qui nobis perspicue cognitus non est. Quæ ratio, quare vocem hanc diuerfimode reddiderint interpretes. IONATHAN exponit per קוחין, quæ vox, vti BVXTOREIVS & BOCHARTVS obseruant, non vno in diuersis editionibus scribitur modo, vt hinc illius significatio incerta videatur. Judicat tamen BOCHARTVS, forte ex græca νονη fluxisse. Alexandrinus interpretatur ποικίλοι, vulgatus *varii*, in qua ipsa etiam sententia fuit KIMCHI, qui explicat per מצויירים, adeo vt color ruber, candidus & niger fuerit commixtus, & inde equi isti fuerint טלאים נקודים או punctati, aut variegati 52). Nouam interpretationem est ingressus erud. de DIEV 53), qui ex radice Aethiopica שְׁךָ splenduit, ortus est, explicat equos orientis solis colorem imitantes, quem fuluum dicere queamus. Sed obseruat BOCHARTVS, vocem שְׁךָ apud Aethiopas, vti & Arabicum שְׁךָ tantum notare oriri, vt hinc de oriente sole passim dicitur, adeoque cum Ebræo זָהָת, vnde ortum traxerit, conueniat: ex hac igitur radice, cuius generis color fuerit, determinari non posse. Quare cum nulla commoda radix succurrit, ex qua vocis huius significatus definiri queat, recurendum est ad illius vsum, quo sic ex illis, quæ circumstant, aliquid certi colligamus. Vox שְׁךָ aliquoties de vitibus sumitur, sic Gen. XLIX. 11. Jes. V. 2. Jer. II. 21. Jes. XVII. 8. (quam vocem de vino adhibitam præstantiam illius designare arbitratur KIMCHIVS 54)) de lino usurpata occurrit Jes. XIX. 9. Vnde colligere licet, talem colorem indigari, qui ad colorem vuarum, de palmitibus pendentium, & lini quam proxime acceperit. Qui color cum non sit nisi flauus,

52) lex. p. 531. 53) critic. sacr. p. 203. 54) c. l. p. 321.

flavus, qui a rufeo & albo est distinctus, hunc intelligi existimamus, ut etiam AQVILA שָׁרֵק reddit ζευδοι, qui color maxime proprius est lino maturiscenti ; hinc PLINIVS 55), apud nos maturitas (lini) duobus argumentis intelligitur, intumescente seme, aut colore FLAVESCENTE. Qui color vbi equis, aut vino adscribitur, appellatur *githus*, quod pluribus testimoniosis ex scriptoribus tum græcis, tum latinis adstruxit o naru BOCHARTVS, cuius sententiam tuentur BRAVNIVS 56) & VITRINGA 57).

§. XI.

Quæritur iam, quid per equos hos eorundemque colores sit intelligendum? KIMCHIVS, posito hoc, per equum rufum inter myrtos intelligendum esse Nebucadnezarem, autumat, equos rufos referre filium & nepotem illius. Sed quando imperium per illud tempus ab Assyriis ad Persas iamdum transferat, nec interpretatio hæc cum scopo visi componi potest, locum habere nequit. ABARBANEL ut per virum stantem inter myrtos intelligit Alexandrum M. eiusdemque in regno Macedonico successores; ita tres equi ipsi sunt Alexandri præfecti, quos inter vastissimum illud imperium diuisum, Ptolemaeus sc. Seleucus & Antigonus. Diuersos equorum colores designare iudicat vel illorum vèstitum, vel mores, vel actiones ac negotia, quibus districti occupatique fuerint. HIERONYMVS pariter regna subsecutura delineari iudicat, ita tamen ut equorum colores efficiant σχετες, quibus Judæi illis impliciti, ac adfectus, quibus illorum præfides in Judæos ducti fuerint. Igitur ordine inuerso equi albi designant Medos ac Persas, sub quibus captiuitas soluta & templum restauratum, variis Macedones, quorum nonnulli amici hostes alii extiterint, rufi denique imperium Romanorum cruentum ac sanguinarium, quod populum Judaicum luctuosis cladibus adfecerit, templumque tandem subuerterit. Sed alios esse docet, qui equos illos ita interpretentur. Virum, qui adscenderit super equum rufum, & equos rufos, & varios, & albos designare quatuor regna. Pri-

D

man

55) L. XVII. c. I. 56) de veltit. sacerd. L. I. c. VIII. §. 118. p. 131.

57) ad Jes. V. 2. T. I. p. m. 114. it. p. 561.



mum & secundum sanguinarium, Assyrios & Chaldaeos: quorum primi decem tribus sub Salmanassare duxere captivas: secundi Judam & Beniamin, incensa Jerusalem ciuitate, templo quo subuerso. Tertios & quartos varios & albos Medos significare putant & Persas: quorum alti clementes fuerunt, ut Cyrus & Darius, filius Hystaspis & Assuerus, quem græci Artaxerxes vocant, alti crudeles, ut Cambyses. CYRILLVS quidem Alexandrinus fatetur, per equos designari reges huius orbis pro diuersa sua in populum Judæum voluntate ac animo, ad regna vero ab inuicem distincta cogitationes suas non deflecit, sed in vno regno Babylonico hæret: cuius reges nominat Phul, qui tribus trans Jordanem subegerit, Salmanassarem, qui Samariam vastauerit, Sennacheribum, qui reliquias Samariae crudeliter deprædatus, & complura oppida Judææ incendio deleuerit, Nabuchodonosorem denique, qui Hierosolymam ceperit, ac populum in tristem captiuitatem abduxerit 58). De tribus sibi inuicem succendentibus summis orbis imperiis, vel angelis, qui illis præfuerint, interpretatur equos hos REMIGIVS ANTISSIODORENSIS 59), sed quoniam Hieronymi interpretationem tantum repetit, illius sententiæ recensendæ non immoratur. Licet autem patres equos fere de regnis, quæ relationem aliquam ad populum Judaicum habuerunt, acceperint; nihil tamen minus per sensum quendam arcaniorem ac sublimiorem HIERONYMVS itemque AMBROSIUS 60), quem sequitur REMIGIVS, per equos varios & albos intelligunt apostolos, apostolicosque viros, qui orbem prædicando peragruerint, quorum alii rufi, quoniam martyrio coronati, alii varii, quia doctrina & opere ac signorum varietate distincti existenterint, alii albi, quia virginitatis candore & integritate fidei ac mundi cordis puritate præclari. Sed quod (1) ad sententiam de regibus illis, quibus negotiis aliquid cum Judæis fuit, illa fere inde orta, quoniam existimauit, visum hoc nostrum idem esse ac visum Dan. c. VII. & Zach. II. & VI, cum tamen visum hoc nostrum ab illis admisum

dum

58) opp. T. III. p. 659. 59) bibl. patr. T. I. col. 743. 60) in symbol. apost. opp. T. IV. p. 195.



dum sit distinctum. (2) Ex scopo visionis huius satis adparet, hoc intendisse propitium Numen, ut in præsentia Judæorum animus, metu rerum instantium suspensus, firmaretur. (3) Licit suo sensu reges terræ dici possint mitti a Deo, cum per ipsos prouidentiam suam exsequitur; non tamen hic intelligi possunt reges, animis in Judæos diuersi, omnes enim pacem renuntiant: ex illis tamen, quos nominat, quidam pacata atque tranquilla mouerunt, & id facere fuerunt soliti, quoties cum exercitibus suis terras peragrarunt. Quod adiiciunt, per equos *allegorice ac mystice* apostolos intelligendos esse, id inde venit, quoniam per virum stantem inter myrtos Christum, eundemque cruento ex perpetrationibus madentem, repræsentari existimant. Cum autem Christus hic nobis minus proponatur, qua *nascitus*, sed potius qua *decretatus*, proque populo suo *intercessurus*, illa de apostolis Christi sententia sponte sua concidit. Addo, sensum *mysticum* non tam emergere ex vocibus atque phrasibus scriptorum sacrorum, quam ex re, cuius voces atque phrases sunt signa.

§. XII.

Per equos autem hos intelligendos esse *angelos*, ex iis, quæ circumstant, colligimus. Visi sunt hi diuino vati non secundum naturam suam, sed secundum *externam adparentiam*, qua in symbolo menti Zachariæ obiecti fuerunt. Illorum symbola sustinere, probamus. (1) Christus proponitur hic tamquam dux ac imperator populi sui, cui angelos iungere conuenientissimum erat, qui ita est princeps angelorum Dan. X. 13. vt angeli *ipsius* esse dicantur Apoc. XII. 7. (2) Vbi de illis pronuntiatur, *perambulasse terram*, effecta virtutis ac potentiae suæ passim edidisse ac more illorum, quos reges ad explorandum emitunt, vicinorum regnum statum sibi cognitum reddidisse, angelorum officium satis circumscribitur, per quos, tanquam prouidentiae suæ administratos, decreta sua exsequitur. Quare phrasis *הַתְּהִלָּךْ בְּאַרְיֵם* v. 10. 11. alibi angelis bonis Zach. VI. 7. & satanae Job. I. 7. aptatur. Ipsam hanc locutionem adhibet HESIODVS, qui *δαιμονῶν*, per quos

D a



DE VIRO STANTE

quos Græci *spiritus inter Deum & homines medios intelligunt*, officium descripturus, canit:

Φυλακες θυητων ανθρωπων,
Οι ρε φιλασσοντες δικαιοι σχετλια εργα,
'Ηρει εσσαμενοι, ΠΑΝΤΑ ΦΟΙΤΩΝΤΕC ΕΠ'ΑΙΑΝ 61).

Quæ doctrina de dæmonibus, orta procul dubio ex iis, quæ scriptura de angelis tradit, magnam partem philosophiæ Platonicæ occupauit, quibus omnia illa opera adsignabant, quæ ut a Deo summo effectui darentur, a maiestate eius & naturæ celsitudine aliena putabant. De quibus conuenienter verbis Hesiodi differit APVLEIVS: *mediorum diuorum ista sortitio est, qui in æris plagi, terra conterminis, nec minus confinibus celo, perinde versantur, ut in quacumque parte naturæ animalia, in terra gradientia* 62). (3) Referunt statum regnorum vicinorum, prouti relationem ad populum Dei habebant, & nunc sub auspiciis filii Dei constunt, ad vim hostium corundemque impetum propellendum, vel illos deuincendos proterendosque, quo ecclesiæ quies redederetur. Ipso hoc officio funguntur sancti angeli, qui *castra metantur circa illos, qui Deum reuerentur* Ps. XXXIV. 8. coll. Ebr. I. 14. Symbolum autem, quo hic veniunt, in schola sanctorum erat frequentissimum. Ita *currus & equi ignei* sunt *angeli* 2. Reg. II. 11. VI. 17. dicuntur *currus Dei* Ps. LXVIII. 18. quibus Deus quasi vehitur, vbi illorum ministerio consilia sua exsequitur; vnde allegoricum nomen כְּרוּבִים רַכְבָּם, per litterarum metathesin ex ortum suum trahere, non sine ratione coniecat de Dieu 63). Et certe symbolum hoc illorum functionibus est ad commodatissimum. Equi a celeritate cursus commendantur Jer. IV. 23. Hab. I. 8. angeli in diuinis mandatis exsequendis summam adhibent celeritatem, ut hinc *ventis & igni*, quorum effectus sunt & celerrimi & potentissimi, adsimilentur Ps. CIV. 4. coll. Ebr. I. 7. Cum autem horum alii spontanea defectione imperio Dei se subduxerint, alii in *concreata perfectione ac puritate* persistirint, queritur, num *boni*, an *mali* angeli sint intelligendi. Cel.

62) de deo Socrat. p. m. 46. 63) crit. sacr. p. 5.

Cel. COCCEIVS de *malis* cogitauit angelis 64), a qua sententia non sine ratione discessiōnem fecit MARCKIVS 65). Et sunt utique rationes satis graues, quibus interpretatio hæc premitur. Nulla indicia in toto viſo comparent, quæ vt de angelis malis cogitemus, ſuadent; multa contra ſunt, ex quibus bonos agnoscere poſſumus. (α) A tergo filii Dei erant constituti, hic autem in media ecclesia Judaica poſitus erat in praefidium; quare in hunc ipſum etiam finem angeli, ſub ipſius militantes auſpiciis, locati videntur, & ſic non mali, ſed boni angeli ſunt intelligendi. (β) Tantum abeft, vt ex hoc loco; quod COCCEIVS vult, adpareat, gentes aduersus Judaicam terram excitaffe, vt potius omnia circumquaque pacata atque tranquilla eſſe renuntiarint. (γ) Probabile non eſt, viſum hoc ad ſequentium temporum regna, eorundemque ad remp. Judaicam relationem reſpicere. (δ) Cum mali angeli ſemper infesti extiterint populo Dei, quorum princeps contra illum ſtetiſ Dan. IX. 13. Zach. III. 1. exiſtimandum non eſt, horum motibus in acceptis ferendum eſſe, vt regum alii, quos inter Alexander Macedo referendus, benigniorem in Judæos animum induerint.

§. XIII.

Ex his vbi certum eſt, per equos angelos, eosque bonos intelligendos eſſe, videamus oportet, quid colores, quibus infeſti conſpiciebantur, ſibi velint; cum & illi ῥργεον ſuam tum ad angelorum legationem, tum ad praefentem viſionem habere videantut. Equi non peculiaria quædam ſubiecta, a ſefforibus ſuis diſtincta, ſymbolice deſignant, ſed vel tainquam instrumenta, vel vti partes ſefforum conſiderantur. Quare angelorum qualitates atque attributa, vel rationem conſiliorum diuinorum, quibus exſequendis ſeruiunt, declarant. Colorem rubrum ſymbolum eſſe caedis, bellorum, indeque ſecuturæ pacis, §. VI. eſt demonstratum. Color flavius ſive gilius mixti eſt generis, ex viridi, rufo & albo concretus 66): deſignare igitur poſteſt ſtatim

D 3

inter-

64) in Zach. opp. T. IV. p. m. 228. 65) in Zach. p. 243, 244.

66) LAZ. BAYFIVS de re vest. c. II. p. 7.

intermedium, in quo neque pax est certa, neque bellum aper-tum. *Candidus* color, oculis acceptus, quem PYTHAGORAS pro-nuntiauit της τ' αγαθεων. το δε μελαν, τε νανος 67), est sym-bolum puritatis, latitiae, tranquillitatis & victorie, quod antiquo-rum testimoniois comprobatum dedit SALDENVS 68). Addam pauca exempla. In gratulationibus moris erat *candida* veste in-dutum esse. Rhodiorum legati Romanis de Perseo Macedone deuicto gratulaturi, in vrbe domina CANDIDA visi sunt veste, quod & GRATVLANTES decebat 69). Amicos die natali se mutuo exci-pientes, *candidis* vestibus indutos, lætitiam suam significasse, ali-bi a me est demonstratum. In triumphis coloris huius usus erat multus. Camillus, Veiiis captis, teste LIVIO 70), curru EQVIS ALBIS iuncto vrbum est inuestitus, qui mos ab hoc primum ortus, ipsi inuidiam quidem multam conflauit 71), sed a sequentium temporum imperatoribus absque illa querela fuit adhibitus; quinimo cum temporis lapsu pompa illa triumphalis insigniter est aucta. Elegantia sunt verba PLINII: priores inuehi & importari solebant, non dico quadriiugo curru & ALBENTIBVS EQVIS, sed bume-ris hominum 72), quare APVLEIUS imperatoribus tribuit QVADRI-GAS ALBAS 73). Qui ipsi, vt gratitudinem suam diis testatam facerent, Joui Capitolino bouem ALBAM & indomitam macta-bant, quod luculentis testimoniois HORATII 74), & IVVENALIS 75) firmari posset, si res illa nunc ageretur. Quando autem ex iis, quæ adhuc dicta sunt, abunde adparet, colorem album signum pacis ac qualiscunque lætitiae priscis habitum fuisse, quid pro-hibet, quo minus dicamus, equos hos repræsentare angelos, ex consilio diuino missos, vt pacem inter homines concilient, illo-rumque animos ita adficiant, vt ad pacem colendam studium at-que operam suam conuertant.

§. XIV.

- 67) LAERT, Pythag. p. 589. 68) otior. theol. L. I. exerc. VIII. §. 6. p. 178. 179 69) LIV. I. XLV. c. XX. 70) L. V. XXIII. 71) CUPER. ad LaEt. de M. P. p. 167. 168. 72) Paneg. c. XXII. 73) apol, opp. p. 288. 74) epod. IX. 21, 22. 75) Sat. X. 65 - 67.

§. XIV.

Quæ vbi menti prophetæ obiecta fuissent, nec quid ista sibi vellent, quidue significarent, succurreret, res tam eximias cognoscendi desiderio tactus, quærerit (2), quis emblematum illorum sensus? Non quærerit, quis esset vir ille stans inter myrtos, quem sine dubio ex characteribus suis, & per internam spiritus sancti lucem cognovit: sed tantum est sollicitus de equis, post illum stantibus, qui, qualesque essent, & quod illorum foret negotium. Quem ad modum autem Deus non facile illum destituit, qui arcana ipsius serio ac cum humilitate pernosse discipit; ita spes etiam vatem nostrum frustrata non est. Equorum significationem emblematicam eruimus §. XI. XIII. Quæritur igitur de interprete, cum officium illud duo ab inuicem distincti agere videantur, *angelus loquens in propheta v. 9. 14. & vir stans inter myrtos v. 10.* De priore dubii hærent interpretes, num a viro inter myrtos distinctus, & si distinctus, num angelus aliquis creatus, an increatus intelligendus? Angelum loquentem in propheta eundem esse cum viro stante inter myrtos, sententia est ABEN ESRAE, quam ex patribus THEODORETVS (76), ex sequentium temporum theologis amplectuntur LVC. OSIANDER, interpretes BELGAE, DIODATVS, IVNIVS & TREMELLIVS, MARCKIVS, WITSIVS (77). Sunt, qui angelum nonnisi **creatūm intelligunt**, quos inter nominandi CYRILLVS (78), AVGVSTINVS (79), GREGORIVS, GROTIUS intelligit *Gabrielem*, distinctum a *Michaële*, qui inter *principes*, ille contra inter *legatos* referendus. CORN. a LAPIDE angelum custodem prophetæ, qui ipsi oracula hæc reuelauerit, ac visionem explanauerit. Personam aliquam diuinam a filio distinctam, spiritum sancti, intelligendum esse, contendunt OECOLAMPADIVS (80), COCCEIVS, HOEKE, GERBADE, quam ipsam sententiam ornandam suscepit B. LAMPIVS (81). Cum hac adfinitatis aliquid habere videatur,

(76) opp. T. II. p. 888. (77) miscell. sacr. T. I. c. VI. §. 9. p. 37-41

(78) opp. T. IV. p. 73. (79) enchirid. ad Laurent. c. LIX. opp. T. III. p. 39. col. 4. (80) in proph. minor. p. 171. (81) diss. de spirit. sanct. VII. c. X. §. 29. p. 22. 23.

detur opinio illorum, qui per angelum interpretem *virtutem propheticam* indigitari autumant. Vifum hoc est HIERONYMO: *angelus, inquit, qui loquebatur in eo (Zacharia), SENSUS videlicet PROPHETALIS, promittit, se ostensurum esse, quod cernitur 82):* quod ipsum etiam innuere videtur KIMCHIVS: *qui loquebatur ad ipsum, fuit verbum domini ad Zachariam.* Verbum propheticum, ad vatem delatum, a virtute vaticinandi, qua Zacharias indutus fuit, reuera distinctum non erat. Quæ virtus vbi per metonymiam accipitur pro spiritu, cuius potentia ad futura præsignificanda instructi fuerunt viri diuini, non est quod huic sententiæ dicam scribamus: sin virtus illa in se absque suo auctore ac subiecto spectatur, illius patroni *œvus æra* loquuntur. Qui angelum aliquem creatum hic locutum volunt, licet habeant, quo se defendant, posse aliquando puros illos spiritus ob perpetuam, quam cum Deo constitutam habent, confociationem, diuinæ voluntatis interpretes agere: tamen si omnia, quæ in visione hachabentur, iusta ponderantur lance, adparebit, ipsum eodem ordine, quo angelus Jehouæ, nobis exhiberi. Angelos aliquando viris sanctis futura prænuntiasse, scriptura sacra pas-sim testatur. Sed vero prophetæ alicui, diuino iusu ad populum Deo sacrum ablegato, angelum aliquem mystagogi instar adpositum fuisse, a cuius ore in explanatione abstrusiorum oraculorum totus pependerit, a maiestate diuina, a persona prophetæ, diuino spiritu agitati, alienum esse iudicauerim. Hic vero angelus, qui loquebatur in Zacharia, non in hoc solum viso, verum etiam in sequentibus rationem visionum propheticarum ipsi expromit c. II. 2. 7. IV. 1. 4. 5. V. 5. 10. VI. 4. 5. Qui angelum *Jehouæ* etiam per angelum interpretem intelligunt, maioricum specie suam ornare possunt sententiam: sunt tamen etiam difficultates, quæ illam premunt. (1) Ratio foret nulla, quare vir ille stans inter myrtos ab angelo loquente adeo solicite distinguatur. Prior adpellatur *vir ille stans inter myrtos* v. 10. *angelus Jehouæ stans inter myrtos* v. 11. *angelus Jehouæ* v. 12. Posterior *angelus*

82) comm. in Zach. opp. T. III. p. 1711.



gelus ille loquens in me v. 9. 13. 14. quæ περιφερεσις dedita ope-
ra a propheta additæ videntur, ne quis vnam eandemque per-
sonam indigitari existimet. (2) De angelo Jehouæ non dici-
tur, ipsum directe ad Zachariam locutum esse: de angelo in-
terprete vero pronuntiatur, ipsum non solum ad, verum etiam *in*
propheta locutum esse. (3) Officiis ab inuicem distinguuntur.
Angelo Jehouæ adscribitur *intercessio* v. 12. angelo interpreti
vero *manifestatio* ac *adPLICATIO* fauoris diuini, per intercessionem
angeli Jehouæ impetrati. Igitur in illorum propendo senti-
entiam, qui hic duas personas ab inuicem distinctas, *filium Dei*,
& illum quidem per virum stantem inter myrtos, & *spiritum san-
ctum*, per angelum loquentem in propheta, intelligunt. Nam (α)
utriusque manifesta est distinctio, quæ cum potissimum sele
prodat v. 12. 13. nescio sane, quæ ratio fuerit, quare B. LAMPIVS
etiam v. 12. spiritum sanctum intellexerit, propterea que Cel.
COCCIVM notauerit. Licet enim haut negem, spiritum sanct.
munere aduocati atque intercessoris defungi posse, facit ta-
men illud pro ratione œconomia diuinorum personarum no-
mine filii, ad quem proprie intercessio spectat. Cum igitur
angelus ille intercessor v. 12. exerte adpelletur מֶלֶךְ, & ab
angelo collocatore distinguatur v. 13. qui ab Jehoua, angelo
Jehouæ, hoc accepisse dicitur, ut proloqueretur *verba bona &*
solatii plena; certum est, per illum intelligendum esse filium Dei,
per hunc vero Sp. S. cuius est sumere ex iis, quæ filii sunt & admun-
tiare creditibus Jo. XVI. 14. Præterea illius, ad quem angelii de
statu regnorum mundi nuntium retulerant, erat, pro ecclesia or-
are; sed angelii viro stanti inter myrtos rationem negotiorum
suorum reddiderant v. 11. Addo, hic attributa characteristica
filii Dei ac spiritus sancti occurtere. Filii est, iram Dei iustum
auertere ac fauorem diuinum restituere, spiritus sancti, gratiam
diuinam partam per verbum salutis adplicare. (β) Sententia
hæc cum analogia fidei optime consentit. Filius, qua salutis hu-
manæ reparator, comitem fere habet spiritum sanctum, qui sa-
lutis huius adquisitæ est præco & obsignator.

§. XV.

Quid symbola vati exhibita tum in se, tum in οχεος ad
E popu-



populum Judaicum significant, declarauimus, id vnum supereſt, vt hæc omnia ad scopum suum reuoceamus, ſicque *ἀποδεξεῖς* quadam ſingulas eximii viſi huius partes conneſtamus. Scopus viſionis fuit, populum Judaicum de gratia diuina reconciliata certiorem reddere, quo ſtrueturam templi ac vrbis abſque impe- dimento vrgere poſſet v. 16. 17. Firmatur hoc ab opportunitate temporis, tum ratione confilii Dei, LXX. annos, deuastationi vrbis atque templi destinatos, ad finem ſuum properare v. 12. tum ratione vicinorum regnorum, quæ pace gauderent, quod cæleſtes illi nuntii duci ac imperatori ſuo ſignificant v. 11. Ob peccatorum ſuorum atrocitatē LXX. annos captiuitatem toleraturos eſſe in terra Babylonica, prædictum fuerat per Jere-miam c. XXV. 11. XXIX. 10. Sed vero quemad modum in poena, aduersus refractarios Iudæos exercenda, gradibus proceſſit Deus, ita etiam per gradus in vrbē, templo, totoque reipubl. ſtatu reſtituendis, gratiam ſuam exhibuit. Siue iam initium diuini iudicii, ſiue eiusdem conſummationem, cum initio reconciliatæ gratiæ eiusdemque complemento per lapsum intermediorum annorum ſupputaueris, LXX. annos habebis. Vbi initium captiuitatis a. IV. Jehoiakimi & primo Nebucadnezaris illigatur Jer. XXV. 1. terminus LXX. a. primo anno Cyri exſpirabit, quo ipſo edictum de vrbē ac templo restaurandis promulgauit 2. Chron. XXXVI. 22. 23. Nabuchodonosor a parente in imperii ſocietatem adſumtuſ, illo post annum & duos menſes defuncto, XLIII. a. ſolus imperauit, Eulmerodachus a. II. Neriglisar IV. Beltschatsar XVII. Darius Medus, qui eſt Cyaxares, II. qui anni cum in ſe ducti effiant a. 69. 2. m. edictum Cyri, qui poſt mortem Cyaxaris auunculi & ſoceri ſolus imperii habenas capeſſiuit, in a. LXX. incidit, adeo ut Ju-dæi, cum aliquod tempus ad adparatum itineris, idemque illud confiendum neceſſarium fuerit, nonniſi ſeptuagesimo anno elapſo Hieroſolymam venerint. Quos hic damus annos regibus Babyloniorum, accurate conueniunt cum calculo Berosi, cuius fragmentum exhibet JOSEPHVS 33) & EVSEBIVS 84), niſi quod

33) contra Apion. L. I. p. 1044. 1045. 84) præp. euangel. L. IX. c. XL. p. 453. 456.

quod inter Neriglissarum & Beltsatsarem, qui Beroſo eſt Nabonidus, ponat Laboroſoar dachum eidemque tribuat m, 9, qui tamen abeſt a canone Ptolemaico, qui de ceteris totidem fere annos cum Beroſo numerat. Beroſi autem calculi & canonis Ptolemaei cum ſuppuratione ſcripturæ ita in concordiam redigi poſſunt, prout in ſupp. demonſtrauimus, & eodem modo LXX. captiuitatis annos numerarunt PRIDEAVX 85). & VITRINGA 86), & illos Daniel c. IX. 2. ſeqq. intendit. Cyrus igitur vbi a l. imperii ſui Eſr. I. 1. Judæis potefatatem in patriam redeundi, ac vrbem atque templum restituendi, confeſſit, illorum multi quidem Hierofolymam contendunt, vrbem de nouo moluntur, aram excitant, templi fundamenta locant: ſed Samaritani aliique populi vicini, veriti, ne Judæorum opes, fauore Cyri ſurgentes, ſibi aliquando exitiales eſſent, ſtructuram hanc omni ratione impediſategerunt, Cyro belli negotiis diſtriicto, vt Judæorum querelæ ad illum tuto deferrī minus poſſent. Apud Cambysen autem & pseudo Smerdin tantum valuerunt artes aduersariorum, vt Judæi omnino prohiberentur, ne in incepto opere pergerent. Sed blandior iſpis fortuna adriſit, ad ſolium imperii Perfici eue- & Dario, Hyſtaſpis filio, qui vt Cyrum ſocerum quacumq; ratio- ne ſibi imitandum propoſuit, ita edictum Cyri de restauranda vr- be ac templo a. II. imperii renouauit, vtque opus illud strenue vr- geretur, omnibus ſerio præcepit. Si iam de nouo ad calculos fe- dere libebit, ab omnimoda vrbis deuastatione ac templi conſlagratione ad vsque edictum Darii, potiſſimum vbi templi cultum reſtitutum viderunt, habebimus pariter a. LXX. Vrbs Hierofoly- ma a. II. Zedekia 2. Reg. XXV. 2. Jer. LII. 5. Nebucadnezaris 19. 2. Reg. XXV. 8. Jer. LII. 12. igne eſt deleta. Si iam a. 19. ſubtraxe- rimus ab annis Nebucadnezaris, quibus & cum patre, & ſolus imperauit, remanebunt a. 26. Euilmerodachus præfuit a. 2. Neri- glissar 4. Beltschatsar 17. Darius ſive Cyaxares 2. Cyrus 7. Cam- byſes VIII. inclusis 8. mensibus, quibus pseudo-Smerdis impe- riū durauit, Darius 2. qui anni ſi in vnam colliguntur summam, conſtituentur a. 68. his vbi adduntur anni duo, quibus elapsis,

E 2

tem-

85) hist. de Juifs T. I. p. 233-235. 86) hypotyp. hist. ſacr. per. VI. §. 11-16. p. 88-91.



templi cultum restitutum viderunt Zach. VII. 5. summa LXX. a. emerget. Contigit hæc visio a. II. regis Darii c. II. 7. quem non *Notbum*, sed *Hystaspis* filium fuisse, firmiter persuasi sumus. Quare cum LXX. a. ad terminum suum properabant, tempus hoc veracitati diuinæ opportunum ratus angelus intercessor, precatur: *Jehoua exercituum quoisque tu non misereris Hierosolymorum & urbium Iudeæ, quibus tu indignatus fuisti* vos LXX. a. v. 12. Particulæ יְהוָה non sunt signa *indignationis*, vel *querelæ* de mora Dei in exsecutione promissionum illarum. Licet enim aliquando hoc sensu accipi possint, ut Exod. X. 3. 7. Num. XIV. 27. 1. Sam. I. 14. 1. Reg. XVIII. 21. tamen ubi in precibus credentium adhibentur, sunt indicium ardentissimi desiderii, innixi bonitate ac veritate diuina, fore, ut promissis suis fidem sit datus Ps. VI. 4. LXXX. 5. XC. 13. Non poterat angelus intercessor ullum indignationis aut querelæ signum præ se ferre, eadem enim eius, quæ patris voluntas, sed quoniam in ipso promissiones piis Abrahamidis datae erant, ac ipse fidem suam interposuerat, porro ipse gloriam Dei adserere ac nomen eius sanctificare debebat, illius erat facere, ut promissa diuina constituto tempore exhiberentur. Erat igitur tempus hoc ratione consilii diuini opportunum maxime, ut in templi ac urbis structura adsidua opera feruerent. Accedebat status vicinorum populorum, qui moderante diuina prouidentia pace atque tranquillitate fruebantur v. 11. tertio quippe Darii anno, qui labebatur, in toto imperio Persico 87). pax vigebat, cum bellum aduersus Babylonios quinto demum eiusdem anno geri cæptum. Igitur Judæorum erat, omnem negligentiam & corporem excutere, ac operi, quanta poterant, industria insistere, cum, si quidem hostes aliquid contra molituri essent, Darius bellicis curis vacuus, pro ea qua in Judæos ferebatur benignitate, hostium molimina sua auctoritate facile reprimere posset.

§. XVI.

Ex illis autem, quæ adhuc secundum filium vatis nostri produximus, sequentia consectaria, ad instructionem ac consolationem ingenerandam facientia, fluunt:

I. Eccle-

87) demonstratum hoc dedit PRIDIAVX c. 1, p. 338-339.



I. Ecclesiam, quam Deus in his terris colligit, non semper in loco alto esse positam, ut pace ac tranquillitate gaudeat, sed grauibus Dei castigationibus haut raro in misericordiarum vallem demitti, idque non alia de causa, quam quo humiliatem suam adgnoscat, quo, ubi fidem atque constantiam probavit, suo tempore de nouo exalteatur.

II. Si vel maxime sub manu Dei castigantis gemat, bene tamen esse illi, si latices gratiae ac spiritus divini ipsam irrigent, quibus ita reficitur, ut in gratissimis adversitatibus solatum non delit, crescat, vireat, floreat in omni vita spiritualis incremento, ut gratus virtutum odor quoquaque diffundatur ac fructus Deo acceptos proferat.

III. Non esse, quod animum abiiciat, si quando hostes impetum faciunt, ac dira quæque minitantur, quandiu Jesus Christus invictus ille heros, strenuus suorum vindex, turmis exercitum caelestium slipatus, in illius medio versatur, qui ineluctabili suo labore aduersariorum impetum potentissime infringere, ipsosque spiritu suo ita robore potest, ut ad excipiendos hostiles insultus sint parati, ac victoriam reportare queant.

IV. Cum sancti illi spiritus sub auspiciis Christi, summi imperatoris sui, militent, eidemque negotiorum suorum rationes reddere teneantur; quanto magis conuenit nobis, qui redempti sanguine eius, sacramentum ipse, domino ac hospitatori nostro, diximus, ut aduersus omnes hostes nostros, carnem, manducem, demonem decerteremus, omnesque nostras actiones ita instituimus, quo eoram tribunalij eius olim constituti, iudicium ipsius animo imperterritu sustinere queamus.

V. Quotiescumque in verbo diuino, ac speciatim sacrorum vatum oraculis quædam occurserint, quæ non illico sunt obvia, quæque iudicium nostrum suspensum tenent, integrum esse nobis recurrere ad summum ecclesiæ doctorem, Christum Jesum, qui ut verbum suum per spiritum manifestandum curauit; ita certa nos spes ac fiducia fuet, fore, ut in voluntatis sue cognitionem, quantum ad nostram salutem & mensuram cognitionis ecclesiæ in his terris sufficit, nos intronmittat.

VI. Cum Christus non solum protectoris, verum etiam intercessoris munus pro ecclesia sua administret, maxime a quo ipse, super omnia electus, ad dextram maiestatis patris sui consedit, huic res nostras tuto committere possumus. Tales vero & vita ad obsequium diuinum composita & sanctimonie studi nos geramus oportet, quorum ipse nomina in labiis suis adsumere possit Ps. XVI. 4.

Geyroto, Geyroto.

F I N I S,



Quartus Deus xterno sibi iunxit fædere gentem
Abramidum, fouit viribus ipse suis,
Vindicis atque ducis tractauit munia Natus,
Hostiles iras ac rabiem reprimens.
Hæc dum propugnas, HAVPTI doctissime, multa
Dexteritate, TIBI gratulor ex animo.
Perge Dei, quæso, caussam defendere, partes
Ornet quo precibus Filius vsque TVAS.

PRAESES.

Du zeigst uns Kluger Freund, den Vorzug Deiner Gaben,
Judem Dein muntrer Fuß auf den Catheder steigt,
Und jehund öffentlich die Frucht des Fleisses zeigt,
Den andre, so wie ich, an Dir bewundert haben.
Wolan! so sabre fort und glaube sicherlich,
Wird Dein Verdienst belohnt, und Hört der Himmel mich,
So wirstu Kluger Freund, so musstu auf der Erden,
Dereinst nach Deinen Wunsch vergnügt und glücklich werden.

J. G. Michaelis,
Der Rechte beslissener.

Eh wünsche, Werther Freund, Dir tausendsachen Seegen,
Da Dein gelehrter Streit Dir Ehren Kränze zeugt:
Dir Vorsicht wolle Dich mit lauter Glück belegen,
Bis Dir Dein Wissen einst den Lohn des Fleisses reicht.

C. A. Reinhardt,
S. S. Th. C. Opp. Ord.

Exposcis carmen, quod, ni mihi musa negaret,
Cultius adiicerem, suavis AMICE mihi!
Hoc unum faciam, cathedram dum scandis AMICE,
Gratulor, atque precor prospera quæque TIBI.

G. J. Pauli,
S. S. Th. C. Opp. Ord.

Jad mire TA vertu & TA docte science,
Car les ardents desirs de TON PERE TV devance.
Aussi souhaite je dans l'Eglise fidèle,
Clairement TV puisse faire luire TON Zele,
Et qu'a juste titre on puisse dire de TOI,
HAVPT est véritablement défenseur de la foi.

J. G. A. Pulmann,
Magdeb. Et. en Theol. & Opp. Ord.





M. 1.

DISSE^TATI^O PHILOL^OG^IC^A DE
VIRO STAN^{ZE} MYR^{US}
AD^{QV} ZACH. I.
FAVENTE SVMMI^{QV}
SVB PR^{QV}
IOANNIS GEOR^{QV}
SS. THEOL. PROFESS. PVBLI^{QV}
REFORM^{QV}
IN ILL. GYM^N. REC^{QV}
AD DIEM XIII. MART^{QV}
AB HORA IX-X^{QV}
PLACIDO EXAM^{QV}
HENRICVS AN^{QV}
COTHEN. ANHALT.
HALLE MA^{QV}
Litteris IOANNIS CHRIS^{QV}

